

III.

NEOVIDENSIS

Nro 18. (*Neovidensis* 1805. Nro 14.)

Secretum litterarum commercium vivos inter, ac mortuos.

Epistola data ad Apicium in Elysio.

Elysium -- Meum -- Die Veneris 1. Mart. 1805. (Neov. 15. Febr.)

Celeberrime Heluo Apici!

Si aliquando me Philosophismi umbris occultere laborabam, hoc profecto nunquam majore cum anxietate feci, atque modo, dum hanc epistolam scribo, quæ mihi, si ita loqui licet, fere prius præcordia rupit, quam illam in chartam conjicerem; Verum tanto amore feror erga veritatem, ut eam sine acerbitate animi silentio præterire nequeam, & studium refutandi philosophicas hyperbolas mihi sit familiarissimum redditum.

Nostræ ætatis sapientes, sit hoc ad amicam aurem dictum, summam operam in eo collocant, ut demonstrant, vestrum Romanorum imperium longe felicius, magisque tranquillum fuisse, quam nostra, quæ doctrinæ christianæ innituntur. Quapropter te felicissimum Romanorum testem appello, an tu cum tota tua pompa, & condimentis ciborum, & an Romani tui populares sub vestro regimine vitam vixerint majore felicitatis genere cumulatam, atque nos, & nostris nasutuli, qui vos nobis inuitandos proponunt.

Nolim ego diurnitatem vestri imperii cum diurnitate nostri Christiani politici status comparare. Vestra etenim dominatio fluxa erat, & caduca, atque durantem inquietudo, seditiones, & homicidia contaminarunt. Vestra Roma tempore Regum inde a Romulo usque ad Tarquinium erat caverna latronum. Periodus consularis constabat ex usurpatione Patriciorum, ex immiti Aristocratia nonnullarum familiarum, quæ se nobiles dicebant. Et vestri Cæsares, qui vos sub jugum misere? quid? dum turma prætoriana Imperatores capite minuit? dum populum Romanum plus promittentibus obtulit? Hæc erant illa felicia, & tranquilla tempora? Dum Caligula suum equum Consulem creavit? Dum Nero Romam succendit, & matrem suam interfecit? Tam terribilem statum proponunt nobis Philosophi ut exemplum felicitis, & pacati Regiminis?

At Augustum fama nominis conspectissimum fecit! Quid? Augustum, qui per immania delicta thronum conscendit? qui obtento imperio effæminatus factus est? Augusto favebant tempora, quæ ille novit in suam convertere utilitatem.

Tiberius despiciatui habuit homines; Populus Romanus, qui se dominum orbis nominabat, procidit in genua ante Claudium, & adoravit filium Enobardi. Isti erant mores! nec Titus, nec Antonius, multo minus Marcus Aurelius poterant eos ab interitu vindicare. — Soli Deo hoc proprium est.

Et quid erant virtutes Romanorum? Primus Brutus morti addixit suos filios, secundus interemit Cæsarem, a quo erat in filium adoptatus, atque ista virtutis nomine insigniebantur? Marcus permisit Patricios, Sylla populum suo innatare sanguini; Conjurati Catilinæ inivere foedus ad Patres suos e medio tollendos, ad evertendum imperium romanum, ut illud possit Jugurtha emere. In Triumviratu alter alterum opprimebat, innumeræque familiæ partim in exilium missæ sunt, partim occisæ, & bona earum fisco addicta. Augustus cuidam Patri, & filio imposuit, ut sibi violentas inferrent manus; morem gesserunt. Neroni sunt divini honores exhibiti, & templum erectum. Conspirationem conflantes se invicem produnt, sua facta patefaciunt Tyrannis, se mutuo ad interneccionem persequuntur. Philosophi immolant suas animi dotes sceleribus Neronis, compellendo ea virtutes, ita Seneca excusavit ejus Matricidium, Burrhus collaudavit, sed una in lacrymas solutus est; Caracalla præcepit Papinio, ut mortem, quam ille fratri suo Getæ intulerat, eximeret a culpa; Galba, Vitellius, Domitianus, Commodus, quæ monstra! Plautius Imperatoris Severi Minister filiam suam maximo natu Imperatoris filio in matrimonium dedit, curavitque 100 liberos Romanos, quorum multi Patresfamilias erant, castrandos eo fine, uti Historia testatur, ut ejus filia more orientalium in suo comitatu haberet eunuchos, qui operas præstent.

Quam turpis corruptela morum! Cato, ille severus morum magister, interfuit indignis, qui in honorem Deæ Floræ instituebantur, ludis; præterea uxorem suam Marciam prægnantem cessit Hortensio, qui paulo post moriturus scripsit eam hæredem in testamento, quo factò eandem cum hæreditate recepit, quin vel assem filio Hortensii daret. Cicero dimissa conjuge Terentia duxit Publiam, cujus Tutor erat; Et Seneca narrat, fuisse Romæ mulieres, quæ annos non ab ætate, sed a numero virorum computabant.

Nero introduxit festa Juvenalia, in quibus viri ex ordine equestri, & senatorio una cum suis uxoribus conscenso theatro debebant infames edere cantus, & omnes histrionum gestus imitari. Ipsa mors fuit his barbaris oblectamento; Homines cum feris bestiis luctabantur, risuque sunt exceptæ convulsiones, quibus moribundi laborabant. Si multum fuit de sanguine profusum, colligebatur, ad facienda Aulicis balnea, Calligula carne humana saginabat Leones, Pantheras, & alia animalia, sæpe ex minima suspitione trucidata sunt, 5 vel 6 millia hominum omnium generis, quam ob crudelitatem debebant eorum propingvi exultare, suasque domos frondibus ornare. Sub Claudio accidit, ut populi romani oblectandi causa in lacu Tucino undeviginti millia hominum jugularentur, qui jussi erant ante mortem accedere Cæsarem, atque ingeminare: *Ave Imperator, morituri te salutant.* O barbariem inauditam!

Bello capti facti sunt mancipia, quibus nullum relictum patrimonium; Agricolaë cogebantur catenis vincti agros colere, & sanguinari Proconsules mittebantur in acquisitas bello provincias, ut easdem exsugerent. Sed quis enumeret omnia facta detestabilia romanæ dominationis!

Quam abominanda autem res erant Dii romanorum! Jupiter, nequissimus mortalium, Mercurius, versutus fur, Venus, prostituta pudicitiaë scæmina, & alii hujus furfuris lures pertinebant ad theologiam romanorum. Omnia scelera habebant suas divinitates, sola virtus non, atque innocentia.

Talem reipublicæ administrationem volebant rerum humanarum periti reducere, vixque illam tempore revolutionis tentarunt, & confestim omnia romanorum scelera invalere. Quanta differentia inter has sanguinolentas scenas, & nostros Christianos Imperantes! Juvat primam, quæ se offert, constitutionem ab Imperatoribus Christianis latam in medium adducere, quam in rem amplissimam mihi suppeditant materiam Fphemerides Viennenses de 6. hujus. Hic eam litteris consigno.

Nobili illo, atque utilissimo ardore, quo modo omnes totius Europæ Principes impelluntur, singulari illo amore erga scientias, & artes, atque generatim erga culturam morum, quam pro felicitate populorum maxime esse necessariam experientia nostrorum temporum docuit, est etiam cum aliis terræ Principibus Germanicus, & Austriacus Imperator præditus, ille quoque ex animo cupit sibi subje-

illos populos rerum cognitione felices reddere, & potissimum educationem, & informationem juventutis ad majorem provehere perfectionem. Qua de re luculentum præbet testimonium ab ipso Imperatore ad Liberum Baronem Summerav, equestris Academiae Theresianæ curatorem exaratum scriptum, cujus hæc est sententia :

Dilecte Baro Summerav ! Ex observatione cursus negotiorum publicorum sum convictus, me non posse paternæ sollicitudinis efficacius dare documentum incolis ditiorum mihi divinitus creditarum, quam si omnia, quæ in mea potestate sunt, eo convertero, ut ad publica munera non nisi viri virtutibus, atque scientiis probe exculsi admoveantur. Qua de causa non modo hætenus publica litterarum, atque educationis instituta sollicitæ auxi, verum etiam nunc omnem in eo pono operam, ut reperiam media ad maximam perfectionem eadem perducendi. Cum autem ad obtinendum hunc finem quam maxime requiratur, ut animis juvenum amor erga scientias, patriam, & Principem, item indefessus conatus, quo olim utiles reipublicæ cives evadant, sed imprimis sana morum doctrina, & genuina Religionis principia instillentur, conserventurque, & illa solum educationis instituta votis meis adamusim responsura sunt, quæ in his promovendis omni contentione elaboraverint, quapropter plene persuasus, inspectionem horum gravium negotiorum eo faciliorem, illustrioremque futurum, quo fuerint plures in partem sollicitudi-

nis acciti, detuli provinciam Status consilia-
riis: Baldacci, & Stahl, nec non Consiliariis
aulicis: Bedekovics, Pflieger, Reichman, &
C. Auersperg, ut, quantum per alia negotia
licuerit, vel simul, vel alternis vicibus inter-
sint omnibus Juris auditorum tentaminibus,
uti etiam Philosophorum, sive ea fuerint quo-
vis mense, vel semestri habita, meque de
horum profectu certiozem reddant.

Idcirco noverit eas facere dispositiones,
ut his non tantum quodlibet imminens tenta-
men aliquot diebus prius significetur, sed e-
tiam omnis honor tanquam meis delegatis ex-
hibeatur. Et si a Præsidibus, Professoribus,
& Præfectis exegerint informationem de alu-
mnorum dotibus, & diligentia, atque mori-
bus, eadem ipsis promte, ac religiose præ-
stetur.

Tametsi non dubitem, hanc meam con-
stitutionem omnibus alumnis summo incita-
mento futuram, eosque non secus, ac paren-
tes, & tutores hanc meam benignam solici-
tudinem intimo grati animi sensu accepturos,
præterea tamen securos eos esse jubeat, qui
diligentia, applicatione, & moribus se distin-
xerint, de amplioribus meis favoribus, me-
que iis, qui ad officia publica animum adje-
cerint, non tantum aditum ad eadem facilio-
rem redditurum, sed etiam, si res eorum do-
mestica angustior fuerit, alia subsidia libera-
liter subministraturum. Vindobonæ 12 De-
cembris 1804.

Franciscus m. P.

B I O G R A P H I A.

Apicius. Tres erant hujus nominis romani, omnes famosi, non quidem ob ingenium, aut virtutes, vel aliquas peculiare animi dotes, sed propter heluationem. Primus vixit sub Sylla, secundus sub Augusto, & Tiberio, tertius sub Trajano. Secundus tamen illorum præ cæteris celebratur, hic, si ita loqui fas est, aperuit Romæ scholam heluationis. In unum convivium expendit semi alterum millionem: Hac profusione incidit in æs alienum, coactusque est rationes inire sui ærarii, animadvertens autem nihil sibi amplius superesse, quam 250 millia librarum, veneno se enecuit.

Secundus Apicius edidit Tractatum de opsoniis, & condimentis, sive de arte coquinaria in 10 Tomis, qui A. 1709. Amstelodami recusi sunt. Invenit certam speciem plantarum, quæ ejus nomine compellabantur, egitque Præsidentem Academiæ cupediorum. Tertio Apicio debetur inventio artis ostrea quam diutissime recentia conservandi. Talia ille Imperatori Trajano, bellum contra Partos gerenti submitterat; verum ars hæc cum illo interiit, nemini enim arcanum prodidit: Quod omnino ingenti nobis omnibus, qui procul a mari habitamus, damno est, nam rarissime vescimur recentibus ostreis.